



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm præter distinctionem realem & modalem detur alia
media, sive ex natura rei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. IV. Vtrum detur distinctio &c. 357

quæ est differentia hic intenta.

24 Tandem probatur hanc distinctionem formalem non esse rationis, id est fictam per intellectum, licet sit formalitatem, quod his verbis clarissimis ait Scotus §. *Respondeo*, non est proprie; potest autem vocari hæc differentia seu distinctio rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipitur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est obiectum intellectus, quod etiam evidenter patet ex verbis Scoti supra adductis, asserentibus hanc distinctionem formalem, tum præcedere omnem actum intellectus tam creati quam increati; tum esse ex natura rei, seu ex parte Dei, quod nullo modo contingit in distinctione rationis, ficta ab intellectu; ex quibus omnibus evidenter patet hanc distinctionem formalem, nec esse realem simpliciter, nec modalem à parte rei, nec rationis: ergo est media inter illas, ita ut sit minima inter omnes reales, seu quæ existunt à parte rei, ut his verbis asserit Scotus. Ex his concluditur differentia hic intenta, quæ est in manifesta, & nimirum quia minima in suo ordine id est inter omnes, quæ præcedunt intellectum, & maior distinctione rationis, quia hæc existit à parte rei, rationis vero non existit sed solum concipitur per intellectum: ergo est media hæc distinctio formalis inter reales, & rationis distinctiones, quibus satis aperte prabata manet tota nostra conclusio.

SECTO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

25 Ad primum desumptum ex verbis Scoti, iam satis responsum est in probatione nostræ conclusionis, Scotus enim solum ut probabile concedit illis verbis, posse dici distinctionem virtuales, & ideo ait Scotus, vel alio modo potest vocari differentia virtualis, non enim asserit, ut solet dicere quando suam profert sententiam, dico absolute, Respondeo; unde non secundum propriam mentem videtur loquutus, quod patet, nam paulo post rejicit hanc distinctionem virtuales, ut patet ex iam dictis supra latissime, quare pro certo habendum est nunquam Scotum confuisse distinctionem formalem à se de novo excogitam cum distinctione virtuali, iam pridem, antiquisque recepta ab omni Schola.

26 Ad secundum Respondetur, potius esse pro nobis, quam contra nos, ut patet ex verbis Scoti supra adductis, nam licet assimilentur in hoc distinctio virtualis, & formalis, quod utraque petat simplicitatem inter distincta, nihilominus in multis alijs differunt, quæ recensuimus ad longum in probatione conclusionis, quæ sufficiunt ad hoc, ut non sint idem distinctio formalis, & virtualis, unde ridicula erit argumentatio, distinctio virtualis petit simplicitatem, distinctio formalis ex natura rei petit simplicitatem: ergo sunt idem, sicut ridicula esset argumentatio hæc, homo est animal, equus est animal: ergo homo est equus, et ubi scaturit ergo cum suo syllogismo Adversarius.

27 Ad tertium Respondetur tale argumentum potius nobis favere, quam adversarijs, nam distinctio virtualis non est minima inter distinctiones illas, quæ formaliter, & expresse actu à parte rei sunt, quia distinctio virtualis non est in illo ordi-

ne, imo si recte loquamur distinctio virtualis non est proprie distinctio in toto rigore, sed potius est æquivalentia distinctionis non solum cum identitate reali, sed etiam cum identitate formali ex natura rei, distinctio autem Scotica, quia formaliter à parte rei est, & est minor tam reali, quam modali, æquissimo iure vocatur ab Scoto minima in suo ordine, id est inter omnes, quæ præcedunt intellectum; concludo igitur nihil momenti adversarios adduxisse in gratiam acutissimi Scoti, ut illum (adversariorum Verbis utitur) vindicarent à tam mala sententia, quam sine dubio Scotus invenit, ex cussit, & insculpsit, ac tandem toto pectore defendit.

QVÆSTIO IV.

Vtrum præter distinctionem realem, & modalem, detur alia media seu ex natura rei.

SECTIO I.

Contraria sententia cum suis probationibus.

PRIMA sententia asserit, distinctionem quandam mediam reperiri inter distinctionem realem, & rationis; distinctionem autem mediam vocant formalem, vel ex natura rei, quod autem signum detur ad cognoscendum hanc distinctionem formalem, & in quo distinguetur à distinctione modali, & reali non inveni in terminis apud aliquem Doctorem, sed quantum potui colligere diligenter, & attente legendo Scotum, & eius discipulos, distinctio formalis versatur inter formalitates quasdam adeo necessario connexas, ut dicantur habere identitatem realem, & per consequens ad invicem sint omnino inseparabiles, & hanc distinctionem ponit Scotus inter rationem entis, & modos illud contrahentes, asseritque ens non transcendere ultimas differentias rerum, licet transcendat subalternas, & non ultimas, ita Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & cum illo omnes Scotistæ, qui etiam ponunt distinctionem ex natura rei inter attributa divina, inter essentiam, & relationes Scotum sequuntur ex nostris P. Fons. lib. 5. metaphysica, cap. 6. quæst. 6. sect. 2. P. Guillius lib. 2. tr. 5. de Attributis, sed isti duo Doctores solum concedunt distinctionem ex natura rei in entibus creatis, quia in Deo existimant illam concedere esse absurdum, sed meo videri, si attente legatur P. Guillius, distinctionem formalem vocat illam, quam nos vocamus modalem, & hoc etiam modo eximus Doctor disp. 7. metaphysica, sect. 1. asserit dari distinctionem mediam inter distinctionem vocalem, & rationis, quam vocat distinctionem modalem: hæc autem sententia probari potest eisdem argumentis, quibus in Logica disp. 6. quæst. 2. probavimus gradus superiores, & inferiores distingui ex natura rei, præcipue utuntur Scotistæ illo, quod implicat eandem rem sub eadem ratione habere convenientiam, & non convenientiam, similitudinem & non similitudinem, æqualitatem, & non æqualitatem.

Yy 3 Sed

2 Sed aliter probatur hæc sententia primo, quia si propter aliquam rationem ens non distinguitur à differentijs, maxime, quia ens transcendit illas, sed hoc est falsum: ergo ens distinguitur ab illis: minor sic probatur, quia ultimæ differentiæ in nullo conveniunt, sed si includeretur ens in ultimis differentijs, convenirent in ratione entis: ergo non includunt ens. Probatur maior, si convenirent per aliam differentiam, differrent: ergo non essent ultimæ differentiæ. Patet consequentia, quæ differunt per aliam differentiam non sunt ultimæ differentiæ: ergo si ultimæ differentiæ differrent per aliam differentiam, non essent ultimæ differentiæ.

3 Secundo, ultimæ differentiæ sunt omnino simplices, & irresolubiles in duos conceptus: ergo non includunt ens. Patet consequentia, si includerent ens non essent omnino simplices, sed resolvable in duos conceptus entis, & differentiæ: ergo ultimæ differentiæ non includunt ens.

4 Tertio, minus importat perfectas, quam substantia: sed substantia includit ens, & perfectitatem: ergo perfectas non includit ens.

5 Confirmatur, sola perfectas non constituit substantiam, sed simul cum ente constituit illam: atqui si perfectas includeret ens sola illa constitueret substantiam, quia haberet quidquid est necessarium ad constitutionem substantiæ: ergo perfectas non includit ens.

6 Quarto, maior distinctio datur inter animal, & rationale, quam inter substantiam, & ens: sed inter substantiam, & ens solum datur distinctio rationis: ergo inter animal, & rationale datur distinctio à parte rei, non realis: ergo formalis, vel ex natura rei. Probatur maior, inter illa datur maior distinctio, inter quæ datur minor identitas, sed inter animal, & rationale datur minor identitas, quam inter ens, & substantiam: ergo datur maior distinctio. Probatur minor. Si tanta identitas daretur inter animal, & rationale quanta datur inter ens, & substantiam, sicut non potest concipi substantia sine ente, ita non posset concipi rationale sine animali, sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur maior, ideo substantia non potest concipi sine ente, quia habet identitatem realem cum illo: ergo si animal, & rationale haberent eandem identitatem realem, non posset concipi animal sine rationali.

7 Quinto attributa divina distinguuntur ante intellectus operationem, sed non distinguuntur realiter: ergo ex natura rei. Minor est de fide definita ab Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum Episcopum Pictaviensem. Probatur maior, quando duo ita se habent, ut alicui conveniat realiter aliquid, quod non convenit alteri à parte rei, illa distinguuntur ante operationem intellectus: sed intellectui Divino convenit aliquid à parte rei, quod non convenit voluntati Divinæ: ergo intellectus Divinus, & voluntas Divina distinguuntur à parte rei. Probatur minor seclusa omni præcisione intellectus creati à parte rei, Pater æternus generat Filium per intellectum, & non generat per voluntatem, aut immensitatem, & similiter Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum per voluntatem, & non per intellectum, aut per immensitatem: ergo aliquid convenit à parte rei intellectui Divino, quod non convenit voluntati Divinæ. Probatur antecedens. Pater æternus cognoscendo se comprehensive in ordine ad se, & non in ordine ad intellectum creatum cognoscit se generare filium

per intellectum, & non per voluntatem aut immensitatem: sed id, quod cognoscit Pater æternus convenit alicui per cognitionem comprehensivam, & non in ordine ad cognitionem creatam convenit rei realiter ante operationem intellectus humani distinguentis, aut fingentis aliquid: ergo à parte rei convenit intellectui Divino esse principium productionis filij, & non convenit voluntati Divinæ: ergo à parte rei convenit aliquid intellectui Divino, quod non convenit voluntati Divinæ.

8 Confirmatur primo, à parte rei convenit naturæ Divinæ quod communicetur filio, & Paternitati non convenit quod communicetur filio: ergo à parte rei convenit aliquid naturæ Divinæ, quod non convenit Paternitati.

9 Confirmatur secundo, Pater æternus communicatur filio aliquid sui, & non communicatur aliquid sui: ergo in Patre æterno datur aliquid, & aliquid: ergo datur distinctio inter naturam divinam, & Paternitatem, quod totum fundatur in principio illo, quod implicat eidem rei convenire simul duas contradictorias: sed si natura Divina, & Paternitas non distinguuntur realiter, eidem rei convenirent duæ contradictoriæ simul veræ: ergo natura Divina, & Paternitas distinguuntur ex natura rei.

10 Et si dicas, quod non implicat in divinis concedere duas contradictorias simul veras, è contra est: ergo si aliquis negaret propositionem aliquam definitam, scilicet Filium æternum esse Deum, nõ esset unde convinceretur, quia dicere utramque propositionem contradictoriam esse veram in divinis, esset nihil asserere contra fidem, quia affirmat Filium esse Deum quod est definitum, & non esse Deum, quod potest etiam esse verum: sed hoc est absurdum in principiis Theologicis: ergo etiam in divinis non possunt dari duæ contradictoriæ simul veræ.

SECTIO II.

Vera sententia proponitur.

11 Dicendum est non dari distinctionem formalem seu ex natura rei à reali modalis, & rationis distinctam: est communis sententia Thomistarum, ita eximius noster Doctor loco supra citato, & passim Alibi P. Hurtadus disp. 6. metaph. P. Valquez in 1. parte, disput. 116. cap. 4. & disput. 120. cap. etiam 4. P. Granados, in 1. parte, tom. 1. tract. 2. disput. 6. & tom. 3. tract. disput. 3. sect. 3. & de attributis divinis idem asserunt PP. Fons. & Gillius, supra citati, P. Didacus Ruiz 10. de Trinitate, disp. 11. qui sententiam Scoti asserit esse parum tutam in fide, & temerariam hoc tempore, P. Molina in 1. parte, 9. 28. art. 2. disp. 5. & denique omnes Doctores Theologi contra Scotum, & eius discipulos. Conclusio probati potest eisdem argumentis, quibus in Logica probavi gradus superiores, & inferiores non distinguui ex natura rei, sed probatur nunc conclusio alijs rationibus.

12 Primo si ens distingueretur ex natura rei à differentijs, ens non esset simplex sed constitutum, sed pluribus conceptis ex natura rei constitutis, sed hoc implicat: ergo ens non distingueretur ex natura rei à differentijs. Minor est sententia Scoti loco citato, imo ideo asserit ens distinguui ex natura rei à perfectitate, & ab alijs differentijs, quia ens est conceptus simplicissimus. Probatur maior, illud

Quæst. IV. Vtrum detur distinctio, &c. 359

illud constituitur pluribus conceptibus ex natura rei distinctis, quod est primum conveniendi, & differendi à parte rei, sed ens præcisa quacumque formalitate ex natura rei distincta ab ipso, est primum conveniendi, & differendi à parte rei; ergo ens constat pluribus conceptibus ex natura rei distinctis. Maior est præcipuum fundamentum Scotistarum, ideo enim secundum illos animal, & rationale in homine distinguuntur ex natura rei, quia sunt primum conveniendi, & differendi à parte rei, & ideo homo constat pluribus conceptibus ex natura rei distinctis, quia est primum conveniendi, & differendi à parte rei. Probatur minor, & sumo ens quod est in Deo, & ens quod est in Petro; ens quod est in Deo in quantum distinguitur ex natura rei à modo increati, per quem contrahitur in sententia Scoti, convenit cum ente quod est in Petro in quantum distinguitur à Petreitate, & differentia creati ex natura rei: sed differt etiam ab illo à parte rei: ergo in ente quod datur in Deo, in quantum distinguitur ex natura rei à modo increati, datur principium conveniendi & differendi. Maior est evidens apud Scotum, imo asserit esse primum conveniendi univoce, & ratio est evidens, quia illa conveniunt à parte rei, quæ intrinsece participant aliquam rationem similem; ideo enim homo, & equus conveniunt intrinsece, quia participant intrinsece rationem animalis, quæ est similis in utroque. Probatur minor, primo ens quod est in Deo, & propterea distinguitur ex natura rei à differentia, vel modo increati distinguitur realiter ab ente quod est in Petro, quatenus hoc etiam distinguitur ex natura rei à differentia creati, sed illa quæ distinguuntur realiter sunt primum differendi realiter: ergo ens quod est in Deo propterea distinguitur ex natura rei à differentia increati, est primum differendi respectu entis, quod est in Petro. Maior meo videri est evidens, quia ratio entis non est eadem formalissime in Petro, & in Deo, sicut natura divina est eadem realiter, & formalissime in tribus divinis personis, quia illa quæ separantur realiter distinguuntur realiter: sed ens quod est in Deo separatur realiter ab ente quod est in Petro, quia per totam æternitatem fuit ens quod erat in Deo, & non fuit ens quod est in Petro; ergo ens quod est in Deo distinguitur realiter ab ente quod est in Petro. Minor etiam est evidens, quia ideo Petrus, & Paulus differunt realiter, & sunt primum differendi, quia distinguuntur realiter: ergo omne illud quod distinguitur realiter ab alio differt realiter ab illo, & est primum differendi; ergo ens quod est in Deo propterea distinguitur ex natura rei à differentia increati, differt ab ente quod est in Petro; ergo in ente quod est in Deo datur primum conveniendi, & differendi simul propterea distinguitur ex natura rei à differentia increati: ergo ens quod est in Deo, & propterea distinguitur ex natura rei à differentia increati est constitutum pluribus conceptibus ex natura rei distinctis; quod negant adversarii, & est evidens in illorum principiis, quia de ipso ente quod est in Deo, & propterea distinguitur ex natura rei ab illa differentia per quam differt ab ente quod est in Petro, redit idem argumentum, quod esset primum conveniendi, & differendi usque in infinitum, quod maxime abhorrent Scotistæ, & est præcipuum argumentum quod obijciunt contra nostram sententiam: ergo ut hoc non dicatur, si-

stendum est in aliquo ente existente in Deo quod sit principium conveniendi, & differendi simul ab ente, quod est in Petro: ergo principium conveniendi, & differendi non requirit distinctionem ex natura rei.

Confirmatur, quando aliqua non distinguntur realiter per proprias entitates formalissime, etiam si identificentur realiter cum formalibus ex natura rei distinctis, non distinguuntur realiter inter se, vel est una, & eadem entitas formalissime: ergo si ens quod est in Deo, & ens quod est in Petro non distinguuntur realiter per proprias entitates formalissime, præcisis quibuscumque formalitatibus ex natura rei distinctis, etiam si identificentur cum illis formalitatibus ex natura rei distinctis ab ente, & realiter distinctis inter se; ens quod est in Deo, & quod est in Petro non distinguuntur realiter, imo esset eadem entitas realiter. Probatur antecedens, licet natura divina quæ est in Patre, & natura divina quæ est in filio, identificentur realiter cum Paternitate, & filiatione, quæ sunt formalitates ex natura rei distinctæ ab ipsa natura divina, & realiter inter se, tamen quia natura divina quæ est in Patre non distinguitur per propriam entitatem à natura divina, quæ est in filio, absolute non distinguitur natura divina; sed est eadem omnino in Patre, & filio: ergo licet aliquod prædicatum identificetur realiter cum aliquibus formalitatibus quæ distinguuntur realiter, si illud prædicatum identificatum cum una formalitate non distinguitur per propriam entitatem realiter à prædicato identificato cum alia formalitate, erit omnino idem prædicatum identificatum cum duplici illa formalitate: ergo si ens quod est in Deo præcisis quibuscumque formalitatibus ex natura rei distinctis ab ipso non distinguitur per propriam entitatem realiter ab ente, quod est in Petro; erit omnino idem ens in Deo, & in Petro, sicut eadem natura divina est in Patre, & in filio, quod est absurdissimum in nostra fide, alias mysterium Trinitatis non excederet captum humanum; & præterea, quia quicquid est in Deo formaliter est Deus: ergo si illa ratio entis, quæ est formaliter in Petro, esset formaliter in Deo, ratio entis quæ est in Petro formaliter esset Deus formaliter, quo quid absurdius in nostra fide: ergo ut hoc indicatur, dicendum est quod ens existens in Petro, & propterea distinguitur ex natura rei, & ante operationes intellectus à differentia creati distinguitur per propriam entitatem à ratione entis, quæ est formaliter in Deo distincta ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus ab omni formalitate, quæ non sit ens: ergo ipsissima ratio entis quæ est in Deo differt ab ipsissima ratione entis, quæ est in Petro: sed ipsissima ratio entis, quæ est in Deo per suam ipsissimam entitatem convenit cum ipsissima ratione entis, quæ est in Petro: ergo ipsissima ratio entis quæ est in Deo, est primum conveniendi, & differendi: ergo ratio entis non est simplicissima, sed constituta ex pluribus conceptibus ex natura rei distinctis, vel si hoc negetur; ergo principium differendi non distinguitur ex natura rei à principio conveniendi: ergo ex eo quod perfectas sit principium differendi ab accidenti, & ens sit principium conveniendi cum accidenti, non sequitur quod perfectas, & ens distinguatur ex natura rei.

Secundo probatur eadem minor, quando aliquibus

quibus conveniunt prædicata essentialiter diversa differunt essentialiter: sed enti quod est in Deo præcisa omni differentia increati, & enti quod est in Petro conveniunt prædicata essentialiter distincta: ergo differunt essentialiter. Maior meo videri est evidens, ideo enim homo, & equus distinguuntur essentialiter, quia conveniunt illis prædicata essentialia distincta. Probatur minor, enti quod est in Deo convenit esse idem realiter, & necessario connecti cum ratione increata, & personalitatibus divinis, & enti quod est in Petro hoc repugnat: sed hæc sunt prædicata essentialiter distincta: ergo enti quod est in Deo convenit aliquod prædicatum essentialiter, quod non convenit enti quod est in Petro.

15 Et si dicas quod ens quod est in Deo non est determinatum ut sit in Deo: sed potest esse in creatura. Econtra est, primo ens quod est in Deo est Deus: ergo implicat quod sit indifferens ad essendum in creatura per identitatem realem cum illa. Antecedens est certum in fide, consequentia probatur, implicat quod illud quod semel est Deus possit esse creatura: sed si ens quod est in Deo esset indifferens ut esset in creatura, posset esse creatura: ergo implicat quod ens existens in Deo possit esse in creatura. Contra secundo, & satis efficaciter, si ens quod est in Deo posset esse in creatura posset separari à Deo: sed hoc implicat: ergo, &c. Maior est evidens, quia ideo ens quod est in Petro separatur à Deo, quia est in creatura: ergo si ens quod est in Deo posset esse in creatura posset separari à Deo: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur minor, si ens quod est in Deo posset separari à Deo, & à differentia increati, distingueretur realiter ab illa: sed hoc est absurdum: ergo ens quod est in Deo, non potest separari ab illo, & à ratione increati. Maior est evidens, & antecedens est iam sæpe probata. Minor etiam est certissima in nostra fide, ita ut sit hæreticum asserere quod aliquid absolutum in Deo distinguatur realiter ab alijs prædicatis absolutis, ut definitum est contra Gilbertum Porretanum: ergo ratio entis, quæ est in Deo, ita est connexa cum prædicatis divinis absolutis, & relativis, ut non posset separari ab illis: sed ens quod est in Petro ratione sui dicit negationem huiusmodi connectionis, & identitatis, & dicit necessariam connectionem cum ratione creati: ergo enti quod est in Deo convenit aliquod prædicatum essentialiter quod non convenit enti, quod est in Petro; quod autem ens quod est in Petro ratione sui, & non ratione alterius à se distincti, dicat negationem identitatis realis cum prædicatis proprijs Dei, est evidens, quia tunc aliquid ratione sui dicit negationem alterius, ita ut inter illud positivum, & negationem non mediet aliud positivum, quando non est indifferens ut habeat illud cuius dicit negationem: sed ens quod est in Petro, non est indifferens ut sit idem realiter cum prædicatis divinis absolutis, aut relativis: ergo ens quod est in Petro ratione sui dicit negationem identitatis realis cum prædicatis divinis, & non ratione alterius à se distincti realiter aut ex natura rei. Maior meo videri est evidens: ideo enim homo ratione sui dicit negationem innibilitatis, quia ex se non est indifferens ad innibilitatem; minor etiam est evidens, quia sicut ens quod est in Deo non est indifferens ut sit in creatura per identitatem realem, ut probatum est, ita similiter ens quod est in Petro non est indifferens ut

sit in Deo per identitatem realem: ergo ens quod est in Deo habet aliquod prædicatum essentialiter ratione suæ ipsissimæ entitatis, quibuscumque formalitatibus ex natura rei distinctis ab ipso quod non habet ens quod est in Petro, & cuius negationem dicit ratione sui: ergo ens quod est in Deo, & ens quod est in Petro per suas ipsissimas entitates distinguuntur essentialiter. Patet consequentia, illa distinguuntur essentialiter per suas ipsissimas entitates, quæ per suas ipsissimas entitates habent prædicata essentialiter distincta: sed ens quod est in Deo, & ens quod est in Petro per suas ipsissimas entitates habent prædicata essentialiter distincta: ergo per suas ipsissimas entitates distinguuntur essentialiter: sed per suas ipsissimas entitates conveniunt: ergo ens quod est in Deo per suam ipsissimam entitatem est principium conveniendi, & differendi ab ente quod est in Petro: ergo ex eo quod aliqua entitas sit principium conveniendi, & differendi, non sequitur quod in illo dentur duæ formalitates ex natura rei distinctæ, vel si in ente quod est in Deo in quantum est distinctum ex natura rei à ratione increati, datur duplex formalitas ex natura rei distincta: ergo non erit omnino simplex, quod negat Scotus.

Secundo probatur eadem minor, enti quod est in Deo ratione sui formaliter, & realiter convenit essentialiter necessitas in essendo: sed enti quod est in Petro non convenit essentialiter necessitas in essendo: ergo enti quod est in Deo convenit essentialiter aliquod prædicatum quod non convenit enti quod est in Petro.

17 Dices quod enti quod est in Deo non convenit ratione sui necessitas in essendo; sed ratione differentie increati. Sed contra, enti quod est in Deo convenit essentialiter ex se identificari realiter cum differentia increati, & enti quod est in Petro non convenit realiter identificari cum differentia increati: sed enti quod ex se convenit identificari realiter cum differentia increata ex se, convenit necessitas in essendo: ergo enti quod est in Deo ex se convenit necessitas in essendo, & ad minus enti quod est in Deo convenit illud prædicatum essentialiter, scilicet identificari realiter cum differentia increata, quod non convenit enti quod est in Petro: ergo enti quod est in Deo convenit aliquod prædicatum essentialiter, quod non convenit enti, quod est in Petro: ergo distinguuntur essentialiter: ergo eidem rei formalissime respectu alterius convenit esse principium conveniendi, & differendi: ergo ex eo quod animal sit principium conveniendi, & rationale principium differendi non distinguuntur ex natura rei, vel ens quod est in Deo in quantum distinguatur ex natura rei à differentia increati, erit constitutum ex duplici ratione formali, quod negat Scotus, & merito, quia de illo ente in quantum distingueretur ab illa formalitate, probatur eadem argumentis manifeste, quod esset principium differendi, & conveniendi; & sic esset procedendum in infinitum, quod negat Scotus.

Confirmatur, enti quod est in Deo repugnat essentialiter componere cum alio, ut asserunt Scotista, quia componere est imperfectio: sed enti quod est in Petro non repugnat componere, imo de facto componit ut asserunt ipsi Scotista: ergo enti quod est in Deo convenit aliqua perfectio, quæ non convenit enti quod est in Petro: ergo distinguuntur realiter, & essentialiter: ergo ens quod

Quæst. IV. Vtrum detur distinctio, &c. 361

quod est in Deo est æquale, & inæquale, simile, & dissimile enti quod est in Petro. Pater consequentia, ens quod est in Deo est univocum respectu entis, quod est in Petro, ut asserunt Scotista, & nos etiam te melius considerata probavimus supra: ergo sunt æqualia. Deinde sunt æqualia, quia illa sunt æqualia quorum unum habet unam perfectionem, quam non habet aliud; sed ens quod est in Deo habet aliquam perfectionem, quam non habet ens quod est in Petro: ergo sunt inæqualia: ergo non implicat quod eadem res sit æqualis, & inæqualis alteri; similis, & dissimilis, &c. Nec inducit distinctionem ex natura rei. Hæc argumenta meo videri manifeste impugnant sententiam Scoti.

SUBSECTIO I.

Secunda principaliter ratio ponitur.

⁹ Secundo probatur principaliter conclusio: si ens distingueretur ex natura rei à differentiis per quas contrahitur, esset genus: sed hoc est contra Scotum, loco supracitato: ergo ens non distinguitur ex natura rei à differentiis per quas contrahitur. Probatur maior, omne prædicatum univocum non transcendens quod prædicatur essentialiter de pluribus essentialiter distinctis, est genus: sed ens ita prædicatur de substantia, & accidenti: ergo est genus.

¹⁰ Respondet Scotus, quod ens non est genus, quia licet non transcendat ultimas differentias, nihilominus transcendit non ultimas, quod sufficit quod non sit genus. Sed contra, ens non transcendit non ultimas differentias: ergo falsa est solutio. Probatur antecedens, ideo ens non transcendit ultimas differentias, quia distinguitur ex natura rei ab illis, sed etiam distinguitur ex natura rei à non ultimis differentiis: ergo non transcendit non ultimas differentias. Maior est fundamentum Scoti: probatur minor, sensibile est non ultima differentia: sed ens distinguitur ex natura rei à sensibili: ergo ens distinguitur ex natura rei à non ultima differentia. Maior est evidens, quia non ultima differentia est differentia inter media: sed sensibile est differentia inter media: ergo est differentia non ultima. Probatur minor, sensibile in animali est principium differendi à planta: ergo sensibile distinguitur ex natura rei ab ente quod est in animali. Antecedens est evidens, consequentia etiam evidenter colligitur in principijs Scoti, quia principium conveniendi, & differendi secundum Scotum distinguntur ex natura rei: sed sensibile in animali est principium differendi à planta, & ens est principium conveniendi cum planta: ergo sensibile, & ens distinguntur ex natura rei. Et idem argumentum potest fieri de quacunque differentia, quia quæcumque differentia est principium differendi.

Conferatur primo, implicat secundum adversarios idem esse æquale, & inæquale alteri: sed sensibile est inæquale plantæ, & ens quod est in animali est æquale plantæ: & ens quod est in animali non sunt idem à parte rei: ergo distinguntur ex natura rei. Conferatur secundo, si ens transcederet non ultimas differentias, & non distingueretur ab illis ex natura rei, vel in quolibet individuo darentur plura entia ex natura rei distincta, vel unus gradus superior non

R. P. I. deph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

distingueretur ex natura rei à gradu inferiori: sed utrumque est absurdum in sententia Scoti: ergo ens non transcendit non ultimas differentias. Probatur maior, & sumo duas differentias non ultimas, scilicet sensibile, & corporeum, vel idem ens omnino transcederet corporeum, & sensibile, vel diversum esset, quod transcederet sensibile ab eo quod transcedit corporeum in animali: sed si primum sensibile, & corporeum, non distinguerentur ex natura rei, & si secundum, darentur in animali plura entia ex natura rei distincta: ergo ens non transcendit non ultimas differentias. Probatur minor, quantum ad primam partem, si idem ens formalissime transcederet corporeum, & sensibile in animali, corporeum, & sensibile non distinguerentur ex natura rei, sed corporeum, & sensibile sunt gradus superior, & inferior: ergo si idem ens formalissime transcederet corporeum, & sensibile in homine, gradus superior, & inferior non distinguerentur ex natura rei. Probatur maior, si ens transcederet corporeum, & sensibile ens non distinguerentur à sensibili, & corporeo ex natura rei: ergo corporeum, & sensibile non distinguerentur ex natura rei. Antecedens est evidens, quia illud quod transcedit aliud non potest distingui ab illo ex natura rei ut probatum est: ideo enim ens non transcedit perfectitatem, & inalicitatem, licet non sint differentia ultima in sententia Scoti, quia distinguitur ab illis ex natura rei: ergo à contrario sensu conceptus transcendens non distinguitur ex natura rei à conceptu, quem transcedit vel conceptu transcelso: ergo si ens transcedit corporeum, & sensibile, non distinguetur ens ab illis ex natura rei: ergo corporeum, & sensibile non distinguntur ex natura rei. Pater consequentia ultima, quæ sunt eadem univocum tertio realiter, & formaliter sunt eadem inter se realiter, & formaliter: (& loquor de prædicatis finitis) sed si idem ens transcederet sensibile, & corporeum, sensibile, & corporeum essent eadem univocum tertio realiter, & formaliter, nempe enti transcendentem utrumque: ergo essent eadem inter se realiter, & formaliter: ergo sensibile, & corporeum non distinguerentur ex natura rei: ergo ut hoc non dicatur, dandum est quod non est idem ens quod transcedit corporeum, & sensibile, sed diversum: argui hoc etiam est absurdum: ergo &c. Probatur minor, & est secunda pars illius minoris, præcipue ens quod transcederet sensibile, distingueretur ex natura rei ab ente quod transcederet corporeum: ergo darentur in animali duo entia ex natura rei distincta. Antecedens est evidens, quia illud quod identificatur adæquate, & ex natura rei, & formaliter cum corporeo distinguitur ex natura rei ab illo, quod identificatur inadæquate ex natura rei, & formaliter cum sensibili: sed ens quod transcedit corporeum, adæquate identificaretur cum ipso corporeo formaliter, & ex natura rei, & ens quod transcederet sensibile adæquate formaliter, & ex natura rei identificaretur cum sensibili: ergo ens quod transcederet corporeum, esset distinctum, & diversum ab ente quod transcederet sensibile: ergo in homine, & in quolibet individuo darentur plura entia ex natura rei distincta, quod est expresse contra Scotum asserentem ens esse omnino indivisibile conceptum: ergo ens nullo modo transcedit sensibile nec corporeum: ergo ens non transcedit differentias: ergo est genus. Pater ult-

Zz sima

tima consequentia; ideo ens non esset genus, quia transcederet non ultimas differentias, ut constat ex responsione data, sed ens non transcedit ultimas differentias; ergo est genus, & ut præcludatur via pluribus solutionibus.

Advertendum est quod ens perficitur per omnes differentias, & etiam per perfectitatem, & quod non implicat quod differentia non sint extra totam latitudinem entis, quia etiam ultima differentia, & perficiunt ens, & non sunt extra totam latitudinem entis; ergo licet differentia non ultima perficiant ens, & non sint extra totam latitudinem entis, non ideo transceduntur ab ente. Patet consequentia, quia etiam si perfectitas, & ratio increati, & differentia ultima perficiant ens, & ens petat contrahi per illas, & non sint extra totam latitudinem entis, ita ut sint nihil non transceduntur ab ente, quia illæ differentia sunt principium differendi, & ens est principium conveniendi: sed ita se habent etiam non ultime differentia respectu entis; ergo non transceduntur ab ente.

21 Tercio probatur conclusio, si ens non includeretur in perfectitate, & in alijs differentijs nullum daretur genus: sed hoc est absurdum: ergo ens includitur in perfectitate. Probatur maior, si ens non includeretur in perfectitate, à perfectitatibus non esset abstrahibilis ratio communis univoca: ergo substantia non esset genus. Probatur antecedens, ideo ens non potest includi in differentijs secundum Scotum, quia differentia nullo modo conveniunt, sunt enim conceptus omnino simplices, & solum rationes differendi à quibus secundum Scotum nulla potest abstrahi ratio communis univoca: sed perfectitates sunt differentia: ergo à perfectitatibus non potest abstrahi ratio communis univoca. Maior, & minor sunt sententia Scoti, consequentia legitime inferitur, ex quo manifeste probatur prima maior, substantia ut sic, quæ esset genus, diceret conceptum entis ut sic, & conceptum perfectitatis ut sic: ergo non esset genus. Antecedens quantum ad utramque partem est evidens, quia substantia ut sic non dicit ens particulare, nec singularem perfectitatem, alias non esset ratio communis. Probatur consequentia, substantia ut sic, nec ratione conceptus entis, nec ratione perfectitatis, nec ratione utriusque simul potest esse genus: ergo si ens non includitur in perfectitate, substantia non potest esse genus. Probatur antecedens, & imprimis non ratio entis, quia licet ens sit univocum in sententia Scoti, nihilominus cum in illius sententia transcedat non ultimas differentias, non potest esse genus, quia genus debet esse extra omnes differentias: ergo substantia non potest esse genus nec entis ut sic, ita ut ens conferat substantia rationem generis: sed nec potest esse genus ratione perfectitatis ut sic; ergo, &c. Probatur minor, & est secunda pars illius antecedentis, perfectitas illa non esset univoca, nec simpliciter præcisa, sed analogia in sententia Scoti; atqui conceptus analogus non potest constituere genus: ergo perfectitas non potest constituere substantiam in ratione generis. Maior est sententia Scoti, & si aliquis Scotista illam negaverit, inferatur contradictoria illius: ergo à perfectitatibus est abstrahibilis ratio communis ut sit univoca perfectitas, quod est contra totam doctrinam Scoti, quia iam in perfectitatibus daretur ratio differendi, & conveniendi, & sic differentia

non essent conceptus simplices, quod negat Scotus, & omnes eius Discipuli. Quod adeo inconveniens existimant, ut ideo allerant ens distinguere à perfectitatibus ex natura rei. Probatur manifeste minor, nulla forma potest præstare effectum oppositum sibi essentialiter: sed univocatio est effectus formalis essentialiter oppositus formæ analogæ: ergo nulla forma analogæ potest constituere substantiam. Maior meo videri est lumine naturæ nota; ideo enim perfectitas non potest constituere accidens, nec inaleitas potest instituere substantiam simul cum ente, quia accidens est effectus essentialiter oppositus perfectitati, & substantia inaleitati: ergo nulla forma potest constituere, & præbere effectum sibi essentialiter oppositum; minor etiam est evidens, scilicet quod forma analogæ sit essentialiter opposita effectui univocationis; ideo enim sanitas non potest constituere aliquid univocum respectu animalis, & medicina, licet animal, & medicina habeant univocationem in ratione entis, quia sanitas est forma analogæ: ergo forma analogæ non potest constituere univocationem, etiam si subiecta vel subiectum ut sic, quod denominatur vel possit denominari ab illa forma sit univocum vel sit univoca subiecta: ergo substantia non potest constitui univoca per perfectitatem: sed nec per utrumque simul, scilicet per perfectitatem, & entitatem: ergo nullo modo potest substantia esse genus, si à perfectitatibus non est abstrahibilis ratio aliqua communis univoca. Probatur minor, & est tertia pars illius antecedentis, quando aliqua forma est opposita alicui effectui formali, totum concretum ex forma, & subiecto non potest habere effectum formalem essentialiter oppositum illi formæ; ratione omnium partium constituentium tale concretum; sed univocatio est effectus formalis oppositus perfectitati, quæ est forma analogæ: ergo substantia non potest esse univoca ratione omnium partium, quibus constituitur. Maior est certa, ideo enim constitutum per perfectitatem, & entitatem non potest esse accidens ratione omnium partium, quibus constituitur, quia effectus accidentis est oppositus essentialiter perfectitati, quæ est forma ultimo constitutiva substantia. Minor est sententia Scoti, consequentia legitime inferitur.

Dices quod substantia est genus inadæquate ratione entis. Sed contra primo: ergo nullum datur prædicatum quod sit genus adæquate. Patet consequentia, omnia prædicata solum constant ex ente univoco, & alijs formalitatibus analogis: sed ideo substantia non est genus adæquate, quia non omnis formalitas est univoca, sed tantum formalitas entis: ergo omne prædicatum est inadæquate genus. Contra secundo, enti per vos repugnat essentialiter esse genus: ergo substantia nec inadæquate est genus. Antecedens est sententia Scoti, probatur consequentia, in tantum substantia esset inadæquate genus in quantum ens conferret illi rationem, & denominationem generis: sed ens non potest conferre substantia rationem, & denominationem generis: ergo substantia nec inadæquate est genus. Maior est solutio quam impugnamus, minor est evidens, quia enti ut dictum est, repugnat essentialiter esse genus ex sententia Scoti: ergo nullo modo potest constituere substantiam genus etiam inadæquate.

Contra

Quæst. IV An detur distinctio virtualis. 363

Contra tertio absolute, & simpliciter substantia non est genus nec univoca: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, quando ab aliquibus formalitatibus non potest præcendi ratio aliqua univoca, etiam si à substantijs vel quasi subiectis illarum formalitatum possit abstrahi ratio aliqua communis univoca, nihilominus à concretis constantibus ex illis formalitatibus, & subiectis vel quasi subiectis non potest abstrahi ratio communis univoca: sed à formalitatibus perfectatum non potest abstrahi ratio aliqua communis univoca: ergo etiam si ab entibus, quæ sunt subiecta, vel quasi subiecta possit abstrahi ratio communis univoca, nihilominus à concretis constantibus ex ente, & perfectitate quæ sunt substantiæ, non poterit præcendi ratio communis univoca, & sic absolute substantia erit analogica: maior meo videri est evidens in principijs Scoti: idem enim ab individuis humanis ut individua sunt, non potest abstrahi ratio communis univoca individui, quia licet subiecta quæ sunt naturæ humanæ conveniant univocæ, & ab illis possit abstrahi ratio communis univoca, nihilominus quia ab individuationibus, quæ sunt formæ constituentes individua non potest abstrahi ratio communis univoca, ideo etiam à concretis scilicet individuis, non potest præcendi ratio communis univoca individui. Minor est responsio, & sententia quam impugnamus, scilicet quod à perfectitatibus non possit præcendi ratio communis univoca: consequentia manifeste infertur. Contra quarto, substantiæ ut sic convenit definitio analogorum: ergo substantia ut sic est analogica. Probatur antecedens, analogica sunt quorum nomen est commune, &c. sed substantiæ ut sic convenit hæc definitio: ergo est analogica. Probatur minor, substantia consistit ex ratione entis, & ex ratione perfectitatis: sed ens est omnino idem in substantia, & perfectitates sunt diversæ: ergo substantia est partim eadem, & partim diversa. Maior est evidens, quia substantia est ens per se: minor etiam est evidens, & in primis quantum ad primam partem, quia ens est univocum; quantum ad secundam etiam est evidens, quia non datur una perfectitas, quæ sit unus conceptus communis præcise ab omnibus perfectitatibus, ut concedit Scotus: sed sunt plures, & diversæ perfectitates: ergo substantia constat ex unica ratione entis, & diversis perfectitatibus: ergo substantia est partim eadem, & partim diversa: ergo convenit illi definitio analogi: ergo non est genus. Patet evidenter ultima consequentia, illud quod est analogum non potest esse genus: sed substantia est analogica: ergo non potest esse genus.

Contra quinto: ergo substantia in quantum substantia, & in quantum distinguitur ab ente, & ab accidente essentialiter non est genus. Patet consequentia, ut substantia in quantum distinguitur ab ente, & in quantum distinguitur essentialiter ab accidente, deberet esse genus, & univoca, ratione illius per quod distinguitur ab ente, & accidenti essentialiter: sed substantia ratione illius per quod distinguitur ab ente, & accidenti essentialiter non est univoca, sed analogica: ergo substantia in quantum distinguitur ab ente, & ab accidente essentialiter non est genus. Maior est evidens, quia quando alicui subiecto convenit aliquod prædicatum in quantum distinguitur essentialiter ab alio, debet illi convenire tale prædicatum ratione illius, per quod distinguitur ab illo essentialiter, ut quia Deo con-

venit esse infinitum simpliciter, & essentialiter in quantum distinguitur ab ente, & à creatura essentialiter, id convenit Deo ratione differentie increata, & ratione affectatis, & quia homini convenit risibilitas in quantum distinguitur ab animali, & in quantum distinguitur ab equo, essentialiter convenit illi risibilitas ratione rationalitatis per quam distinguitur homo ab animali, & ab equo essentialiter. Minor etiam est evidens, quia id ratione cuius substantia distinguitur ab ente, & ab accidente essentialiter est perfectitas: sed perfectitas in sententia Scoti non est univoca, sed analogica: imo sunt plures perfectitates, quia non potest præcendi conceptus unus perfectitatis: ergo ratione illius per quod substantia distinguitur ab ente, & ab accidente essentialiter non est univoca substantia, & per consequens non est genus, & eodem argumento probatur manifeste quod nulla datur ratio generica, & specifica, & sumo rationem hominis ut sic, homo ut sic constituitur per rationalitatem in esse hominis, & in quantum distinguitur essentialiter ab equo: sed rationalitas ut sic non potest esse univoca in sententia Scoti, quia ab ultimis differentiis non potest abstrahi ratio communis univoca: ergo homo in quantum homo, & in quantum distinguitur essentialiter ab equo non est univocus: ergo nec species: ergo ex principiis contrariis evidenter sequitur tolli omnem rationem genericam, & specificam, & per consequens omnem seriem prædicamentalem, quæ ordinatur ex generibus, & speciebus. Præterea tolluntur etiam quinque prædicabilia, & de differentia quod est tertium prædicabile est evidens, quia rationale, v. g. non potest esse ratio communis univoca, quia à differentiis secundum Scotum non potest abstrahi ratio communis univoca, & eodem argumento probatur, de omnibus differentiis: ergo corrumpit omnino tertium prædicabile, & per consequens tota metaphysica: ergo ut hoc non dicatur dicendum est quod rationes superiores, & inferiores non distinguntur ex natura rei, & per consequens quod ens transcendit omnes differentias.

Quarta probatur conclusio, perfectitas in quantum distinguitur ex natura rei à quocumque conceptu reali est ens essentialiter: ergo perfectitas essentialiter includit ens. Probatur antecedens, perfectitas in quantum distinguitur ex natura rei à quacumque formalitate repugnat existere: sed omne illud quod non repugnat existere essentialiter est ens (& sumimus ens secundum formalissimam rationem qua est conceptus oppositus chimæ, & nihilo:) ergo perfectitas in quantum distinguitur ex natura rei à quacumque formalitate essentialiter est ens. Maior est evidens, quia vel perfectitas in quantum distinguitur à quacumque formalitate, & in quantum est perfectitas formaliter repugnat existere, & sic erit nihil, & chimera, & per consequens substantia constituitur in ratione substantiæ per conceptum chimæricum, & impossibile, quod est chimæricum, & impossibile: ergo perfectitas in quantum perfectitas non repugnat existere: ergo in quantum perfectitas est ens.

Dices quod perfectitas in quantum perfectitas non est ens ut quod, sed ut quo; sed contra primo: illud est tale ut quo in aliqua ratione quo aliud constituitur ut quod in alia ratione: sed nihil constituitur ut quod in ratione entis per perfectitatem: ergo perfectitas non est ens ut quo. Maior est evidens, ideo enim relatio est ut quod in ratione

relationis, quia per illam constituitur fundamentum in esse relativi ut quod. Minor non est minus evidens, quia substantia constituitur in ratione entis ut quod, per id in quo convenit cum accidenti in ratione entis ut quod: sed per perfectitatem non convenit cum accidenti in ratione entis ut quod: ergo per perfectitatem non constituitur substantia in ratione entis ut quod: ergo perfectitas non est ens ut quo, sed neque est etiam ens ut quod, ut asserunt adversarij: ergo est nihil. Contra secundo: ergo ab ente, & perfectitate est abstrahibilis ratio communis entis. Patet consequentia, ab illis quæ conveniunt in aliqua ratione intrinsece est præcindibilis aliqua ratio communis: sed perfectitas, & ens conveniunt intrinsece in ratione entis: ergo ab ente, & perfectitate est abstrahibilis aliqua ratio communis entis. Maior probata est à me *disp. 3. quest. 2. Probatur minor*, illa conveniunt intrinsece, quæ participant intrinsece rationem: sed perfectitas, & ens participant intrinsece rationem entis: ergo ab illis est abstrahibilis aliqua ratio communis entis.

25 Nec obstat quod perfectitas est ens ut quo, & ens est ens ut quod, quia illæ sunt differentie, quæ non obstant præcisioni si ex alio capite deitur convenientia, sicut non obstat præcisioni, quod substantia sit ens per se, & accidentis sit ens in alio, quia perfectitas, & inaleitas sunt differentie: sed rationes quod & quo sunt differentie: ergo non obstant præcisioni: ergo à perfectitate, & ente est præcindibilis ratio communis entis, quatenus dicit præcise non repugnationem ad existendum, & oppositum cum nihilo, præcindendo à non repugnantia ut quo, & ut quod. Tunc sic argumentor: ergo vel illa ratio entis præcisa ab ente ut quo, & ut quod distinguitur ex natura rei ab ente ut quo, & ut quod, & sic procedetur in infinitum, quia de illis rationibus quæ remanent post præcisionem, redit idem argumentum, verum repugnent existere, vel non repugnent, & si repugnant, erunt impossibilia, & sic inciditur in primum absurdum, & si non repugnant erunt entia, & consequenter convenient in ratione entis, & sic iterum erit præcindendum repugnat Scotus: ergo ut hoc non dicatur dicendum est quod illa ratio entis, quo præcinditur ab ente ut quo, & ut quod, non distinguitur ab illis ex natura rei: ergo aliqua ratio superior non distinguitur ex natura rei à suis inferioribus: ergo nulla ratio superior distinguitur, quia eadem argumenta militent contra omnes rationes superiores, & inferiores, ut distinguantur ex natura rei.

26 Dices quod hæc propositio, perfectitas in quantum perfectitas est ens, est falsa, quia sensus illius est, quod ratio constitutiva entis est perfectitas, & probant sensum illius propositionis esse illum ex hac alia propositione simili, Petrus in quantum homo est rationalis, quia sensus illius est quod ratio constitutiva hominis est rationalitas: sed contra, quia propositio in qua ponitur hæc particula in quantum non semper habet sensum prædictum in solutione, sed solum est ad exprimendum quod aliquod prædicatum conveniat alicui subiecto constanti ex pluribus formalitatibus ratione alicuius illarum formalitatum: ergo falsa est solutio. Probatur antecedens, si illa particula in quantum semper sumeretur in sensu dicto in solutione, plures locutiones de fide essent falsæ, &

negandæ: sed hoc est hæreticum: ergo particula in quantum non sumitur semper in sensu dicto in solutione. Probatur maior, hæc est propositio de fide: Christus in quantum homo nascitur de Virgine Maria, Christus in quantum homo passus fuit; sed si particula in quantum, sumeretur semper modo dicto ab adversarijs, istæ propositiones essent falsæ, & negandæ: ergo si particula in quantum semper sumeretur modo dicto ab adversarijs plures propositiones nostræ fidei essent falsæ, & negandæ. Probatur minor, in quantum homo natus fuit ex Maria Virgine, est iste secundum adversarios. Christus constituitur in ratione hominis per nativitatem ex Virgine Maria: ergo omnis homo nascitur ex Virgine Maria, quod est falsum: ergo sensus illius particule non sumitur semper modo dicto ab adversarijs.

Confirmatur hoc ipsum ex alia propositione de fide, quæ etiam esset neganda si solutio adversariorum esset vera. Christus in quantum Deus est filius naturalis Patris Aeterni; sensus enim huius propositionis secundum adversarios est, quod Verbum æternum constituitur in ratione Dei per filiationem æternam, ex quo secundum illorum intelligentiam colligitur hæc propositio: ergo omne illud quod est Deus est filius naturalis Patris æterni: sed Spiritus sanctus non est filius naturalis Patris æterni: ergo Spiritus sanctus non est Deus, quod est hæreticum: ergo particula illa in quantum non sumitur semper, ut explicatur ab adversarijs; Sensus igitur illius particule est ad inquirendum in aliquo subiecto constante pluribus formalitatibus, ratione cuius illarum conveniat illi tale prædicatum. Exemplum sit in Christo Domino, qui constat natura humana, & personalitate Verbi divini, cui conveniunt diversa prædicata quædam ex parte naturæ humanæ; quædam vero ex parte personæ divinæ, & sic inquirendo ratione cuius conveniat aliquod prædicatum Christo Domino, vtuntur Concilia, & Patres hæc particula, ut Christus in quantum Deus, est æternus, est ubique; & Christus in quantum homo est minor Patre, quia loquutione virtutem homo est metaphysicis, ut quando dicimus, muretram in quantum docens est scientia, sensus Logica in quantum docens est scientia, sensus enim huius propositionis non est quod ratio scientiæ constituat docentem in quantum docentem, & quod omnis docens constituat rationem, vel quod ratio docentis constituat rationem scientiæ in quantum talis; sensus autem illius est, quod Logica conveniat ratio scientiæ, ex illa parte qua est docens, & non ex illa parte qua est vtens.

SUBSECTIO II.

Amplius confirmantur dicta.

27 Vinto probatur conclusio, si fundamenta Scoti essent sustinenda, actus liber & necessarius Dei distinguerentur ex natura rei: sed actus liber, & necessarius Dei non distinguuntur ex natura rei: ergo fundamenta Scoti non sunt sustinenda. Probatur maior, & applicetur argumentum supra factum *disp. 3. quest. 2.* præcindatur actus liber ut sic à creato, & increato, & actus necessarius ut sic, actus liber ut sic iuxta principia Scoti debet distinguui ex natura rei ab actu necessario

Quæst. V. Vtrum detur distinctio, &c. 365

vt sic: ergo etiam in Deo distinguitur ex natura rei actus liber ab actu necessario. Probatur antecedens eisdem rationibus, quibus probat Scotus iustitiam vt sic, & misericordiam vt sic distinguere ex natura rei.

28 Prima ratio est supra insinuata loco citato, videatur ibi.

29 Secunda ratio Scoti est, quia illa quæ habent distinctas definitiones distinguuntur ex natura rei: sed actus liber vt sic, & actus necessarius vt sic, habent distinctas definitiones: ergo distinguuntur ex natura rei. Probatur minor, actus necessarius vt sic, quo potentia fertur in obiectum sine indifferentia, & ex determinatione ad vnum, & actus liber, est, quo voluntas fertur in obiectum cum indifferentia, & non ex determinatione ad vnum: sed istæ sunt definitiones distinctæ: ergo actus necessarius vt sic, & actus liber vt sic habent distinctas definitiones: ergo distinguuntur ex natura rei.

30 Tertia ratio est, quia illud quod est principium conueniendi distinguuntur ex natura rei ab illo quod est principium differendi: sed actus necessarius Dei est principium conueniendi cum actu necessario creaturæ, & actus liber Dei est principium differendi ab actu necessario creaturæ: ergo actus liber Dei, & actus necessarius Dei distinguuntur ex natura rei.

31 Quarta ratio est, quia eidem rei non possunt conuenire prædicata contradictorie opposita, & si conueniunt illa subiecta, quibus conueniunt, distinguuntur ex natura rei: sed actui necessario, & libero Dei conueniunt prædicata contradictorie opposita: ergo actus liber, & necessarius distinguuntur ex natura rei. Probatur minor, Pater æternus, & Filius spirant Spiritum sanctum per actum necessarium, & non spirant illum per actum liberum, sed spirant Spiritum sanctum per actum, & non spirant illum per actum sunt prædicata contradictorie opposita: ergo actui libero, & necessario Dei conueniunt prædicata contradictorie opposita. Maior est certa, quia Pater, & Filius necessario spirant Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus est tam necessarius, sicut Pater, & Filius: ergo spirant illum per actum necessarium: ergo actui necessario conuenit aliquid realiter, quod non conuenit actui libero.

32 Confirmatur à simili: ideo Scotus colligit intellectum, & voluntatem distinguere ex natura rei, quia Pater spirat Spiritum sanctum per actum necessarium, & non per actum liberum: ergo actus necessarius, & liber distinguuntur ex natura rei: sed hoc implicat: ergo &c. Minor est communis sententia Theologorum, qui contra Caietanum statuunt actum liberum Dei supra necessarium non addere aliquam perfectionem intrinsecam, & est evidens lumine naturæ, quia si actus liber Dei distingueretur à necessario, aliquid quod est formaliter in Deo, & per consequens quod est Deus realiter posset non existere: sed hoc est impossibile: ergo, &c. Probatur maior, Deus potuit nolle creare Divum Petrum: ergo potuit non habere actum liberum circa creationem Divi Petri: ergo hic actus liber potuit non esse in Deo: ergo non solum distingueretur Deus ab hoc actu libero formaliter & ex natura rei, sed etiam modaliter, quod est error Durandi, quia distinguuntur ad minus modaliter, quando vnum potest existere sine alio: sed actus necessarius Dei, & ipse Deus possent existere sine hoc actu libero supposita sententia Scoti: ergo distinguuntur modaliter.

Vergetur totum hoc, & ex eisdem principiis probatur dari in Deo plures naturas divinas ex natura rei distinctas, quod est hæreticum, illa distinguuntur ex natura rei, quæ sunt principium conueniendi, & differendi: ergo sunt plures naturæ divinae ex natura rei distinctæ. Probatur minor, natura divina Patris conuenit cum natura humana Petri, quia quatenus terminatur natura divina per vnicam substantiam Patris, & differt à natura humana Petri, quia natura divina terminatur per alias duas substantias: ergo natura divina in quantum natura divina est, est principium conueniendi, & differendi cum natura humana Petri: ergo natura divina in quantum est principium conueniendi, distinguuntur à se ipsa in quantum est principium differendi: ergo datur duplex natura divina ex natura rei distincta: ergo dantur plures Dij ex natura rei distincti.

Vergetur hoc ipsum, evertendo aliud fundamentum Scoti, qui ideo colligit naturam divinam, & Paternitatem distinguere ex natura rei, quia communicatur natura divina Filio, & non communicatur Paternitas. Tunc sic argumentor, si hoc argumentum aliquid probaret, non solum probaret distinctionem formalem inter naturam divinam, & Paternitatem, sed etiam distinctionem realem quod ita probat. Natura divina realiter communicatur Filio, & Paternitas non communicatur realiter Filio: sed quando in aliquo ordine vnum communicatur, & aliud non communicatur, illa distinguuntur in illo ordine secundum adversarios: ergo Paternitas, & natura divina distinguuntur realiter. Probatur minor, ideo Paternitas, & natura divina ante operationem intellectus distinguuntur secundum adversarios quia in illo ordine communicatur natura divina, & non communicatur Paternitas: ergo quando duo ita se habent vt in aliquo ordine vnum communicatur, & aliud non communicatur in illo ordine distinguuntur: sed natura divina in ordine reali, & realiter communicatur Filio, & paternitas in illo ordine realiter non communicatur: ergo natura divina, & paternitas distinguuntur in ordine reali: ergo non solum distinguuntur ex natura rei, sed etiam realiter, quod est error Gualteri, & Gilberti: mitto alia argumenta, quæ sunt in divinis contra Scoti sententiam, quæ pugnant cum simplicitate Dei cum summa illius identitate, & alijs perfectionibus, quæ videri possunt apud Doctores supra citatos. Ponam tamen argumentum quo Divus Bernardus in Concilio Lemensi convicit Gilbertum asserentem naturam divinam distinguere à personalitatibus, quæ ratio vt inquit Pater Vasquez citatus supra, non solum ob auctoritatem Divi Bernardi: sed etiam quia ipsa in se efficacissima est, est magnificanda, quæ sic se habet, & fit

Vltimum argumentum; probatur nostra sententia, si essentia divina est sapiens, seu sapit sapientia, quæ ex natura sua ab ea differt, & ante intellectum non est ipsa essentia divina, vel illa sapientia ante intellectum natura sua est aliquid vel nihil: sed non potest esse nihil: ergo est aliquid. Rursus illud aliquid ante intellectum natura sua formaliter, & essentialiter, vel est superius, vel æquale, vel inferius ipsa natura divina: sed nec potest esse superius, nec æquale, nec inferius ipsa natura divina: ergo nullo modo distinguitur sapientia divina ab ipsa essentia divina. Probatur minor, & in primis non potest esse superius Deo, quia nihil potest esse superius ipso Deo, nec po-

test esse æquale, quia iam darentur duo differentij æquales ex natura rei distincti: ergo non est æqualis Deo sapientia divina. Probatur antecedens, quidquid est æquale Deo est Deus; sed sapientia divina esset æqualis Deo: ergo esset Deus, & consequenter essent duo differentij distincti ex natura rei. Maior est evidens, ideo enim Patres & Concilia contra Aristotelem probant Verbum divinum esse Deum, quia est æqualis patri, qui est Deus: ergo si sapientia divina est æqualis Deo, erit Deus: sed sapientia divina distinguitur ex natura rei à Deo: ergo est Deus distinctus ex natura rei: ergo dantur duo differentij distincti, quod hæreticum est: sed nec potest esse sapientia divina inferior ipso Deo, quia quidquid est inferior Deo est creatura: ergo, &c. probatur antecedens, ideo Christus Dominus secundum humanitatem est inferior Deo, iuxta illud Ioannis 14. *Pater maior me est*, quia est creatura secundum humanitatem: ergo omne illud quod est inferius Deo est creatura: ergo si sapientia divina esset inferior Deo esset creatura quod est hæreticum.

36 Dices quod sapientia, v. g. nec est æqualis naturæ divinæ nec inæqualis, quia ut aliquid sit æquale alteri debet distingui realiter ab illo; cum autem sapientia non distinguitur realiter à natura divina, sed sit idem realiter cum illa, sit inde ut non sit illi æqualis, nec inæqualis: sed contra, & meo videri manifeste impugnat hæc solutio ex Scoti in 1. distinct. 8. quæst. 4. ut probet attributa distingui ex natura rei ex Divo Augustino lib. 15. de Trinitate, cap. 3. ita argumentatur Augustinus, asserit attributa omnia esse sibi æqualia, sed nihil est sibi æquale: sed alteri distincto ex natura rei: ergo cum attributa sint sibi æqualia secundum Augustinum, necessario distinguuntur ex natura rei. Et quia poterat aliquis respondere, quod illa æqualitas erat per rationem, hoc impugnat Scotus asserendo quod inepte dicitur aliquid sub vna relatione rationis esse æquale sibi, sub alia relatione rationis considerato: ergo ex sententia Scoti sufficit distinctio formaliter etiam cum identitate reali, ut vnum sit æquale alteri: sed sapientia divina, & natura divina distinguuntur ex natura rei secundum Scotum: ergo sapientia divina est æqualis naturæ divinæ: ergo est Deus formaliter: ergo dantur plures differentij formaliter ex natura rei distincti, quod hæreticum est: ergo ut hoc non dicatur dicendum est, quod natura divina, & sapientia divina non distinguuntur ex natura rei.

37 Conferetur hoc ipsum inducendo aliud incommo- dum in Theologia; sapientia divina est æqualis misericordiæ divinæ secundum Scotum realiter: ergo inter sapientiam divinam, & misericordiam divinam datur relatio æqualitatis realiter. Patet consequentia, omne illud quod est æquale alteri realiter (præcipue cum res sint absolute) est æquale per relationem realem; sed sapientia divina est æqualis realiter misericordiæ divinæ: ergo est æqualis per aliquam relationem realem: ergo in divinis non solum dantur quatuor relationes reales: sed etiam plures, quod est contra communem Doctorum sententiam. Præterea sequetur quod sapientia divina distinguitur realiter à misericordia divina, quia in divinis illa quæ referuntur realiter, distinguuntur realiter.

Ad primum argumentum distinguo maiorem, 38
A expresse cognita concedo maiorem, confuse cognita, nego maiorem, & ad probationem illius nego antecedens; sed differunt se ipsis expresse cognitis, & conveniunt se ipsis confuse cognitis: & si hoc argumentum aliquid probaret, omnino destrueret tertium prædicabile, quod absurdum est, ut est probatum.

Ad secundum distinguo antecedens, quantum 39
ad primam partem, sunt omnino simplices in quantum simplicitas opponitur compositioni, concedo antecedens; in quantum opponitur constitutioni, nego antecedens, & distinguo etiam, quantum ad secundam partem sunt irresolubiles in duos conceptus adæquate distinctos concedo antecedens, in adæquate distinctos nego antecedens, & nego consequentiam, & ad probationem illius nego antecedens, & consequentiam sub distinctione data.

Ad tertium nego maiorem, quia solum per- 40
fectas, & substantia distinguuntur in modo significandi, quia perfectas significatur expresse per modum partis, & differentia, substantia autem significatur per modum totius, & habentis, qui modus significandi abstracte, & concrete ut optime advertit eximius noster Doctor lib. 5. de Trinitate, cap. 8. est maxime familiaris metaphysicis, qui in conceptibus omnino simplicibus utuntur his nominibus concretis, & abstractis, non quia concretum dicat aliquid quod non dicit abstractum, ut patet in his ens, & entitas, nihil enim dicit ens quod non dicat entitas, & similiter Deus, & deitas: sed solum distinguuntur in modo significandi ut dictum est.

Ante solutionem confirmationis advertendum 41
est, quod possumus loqui vel de constitutione substantiæ in fieri vel in facto esse, si autem consideremus constitutionem substantiæ in fieri, necessario debet concipi expresse ens, & perfectas, quia in tantum constituitur substantia in fieri in quantum ens contrahitur per perfectitatem, omnis autem contractio est cognitio clara, & expressa conceptus contrahentis, & contrahibilis de constitutione substantiæ in facto esse aliqui negant, alij autem asserunt quod quando substantia concipitur ut constituta, debent concipi ens, & perfectas eo modo quo solvit eximius Doctor lib. 7. de Trinitate, cap. 3. num. 12. simile argumentum de constitutione divinarum Personarum, cui libenter in hac parte assentior, assero quod quado concipitur substantia ut constituta expresse, necessario debet concipi perfectas, & ens expresse, quo posito Respondetur ad confirmationem, distinguo maiorem quantum ad secundam partem, simul cum ente expresse cognito concedo maiorem, confuse cognito nego maiorem, & distinguo minorem; si includeret ens expresse concedo maiorem, si confuse nego minorem, & ad probationem illius distinguo antecedens, & ad probationem illius distinguo antecedens, & consequentiam, quod non sufficit ad constitutionem substantiæ expresse nego antecedens, confuse concedo antecedens, quod non sufficit ad constitutionem substantiæ, & nego consequentiam.

Et si istas quod perfectas dicit expresse ens: 42
ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, perfectas

Quæst. V. An detur distinctio virtualis. 367

seitas dicit expresse positivum: ergo dicit expresse ens: antecedens constat ex dictis supra disput. 3. quæst. de contrah. ensis, &c. ubi contra Zonzinatem probavi ens contrahi per aliquid positivum: sed ens contrahitur per perfectitatem: ergo perfectitas est aliquid positivum, & ratio est manifesta, quia perfectitas opponitur contradictorie non perfectitati, quæ est negatio: sed omne illud quod opponitur contradictorie alicui negationi expresse, est quid positivum expresse: ergo perfectitas expresse est quid positivum: ergo expresse est ens. Probatur ultima consequentia: illud quod est expresse positivum est expresse ens: sed perfectitas est expresse aliquid positivum: ergo expresse est ens. Maior est certa, quia ens, & positivum sunt termini synonymi.

43 Respondent aliqui obiectioni negando antecedens, & ad probationem illius concedunt antecedens, & negant consequentiam, & concedunt probationes antecedentis, & negant consequentiam ultimam, & ad probationem illius negant maiorem, quia quod opponitur contradictorie, & private negationi cuiusque est expresse positivum, non tamen est expresse ens, quia solum est expresse ens illud quod opponitur repugnantia ad existendum, & per consequens illud quod non repugnat existere, & sic negant quod ens, & positivum sint termini synonymi.

44 Etsi iterum illis obijcias quod omnis negatio repugnat existere: ergo omne illud quod opponitur cuiusque negationi expresse opponitur repugnantia ad existendum: ergo omne positivum expresse est ens. Patet ultima consequentia, illud est expresse ens quod opponitur expresse repugnantia ad existendum: sed omne positivum expresse opponitur repugnantia ad existendum: ergo omne positivum expresse est ens.

45 Respondent obiectioni distinguendo antecedens, omnis negatio repugnat existere expresse negant antecedens, implicite concedunt antecedens: expresse autem tantum dicit non esse positivum, quod excludit contradictorie, v. g. negatio cui opponitur perfectitas expresse tantum dicit non perfectitatem, non tamen dicit non ens expresse scilicet repugnantiam ad existendum.

46 Sed contra hoc insurgit validissimum argumentum, si hæc solutio subsisteret à pluribus quæ conveniunt intrinsece, non posset abstrahi ratio communis: sed hoc est contra dicta supra disput. 3. quæst. 2. ubi statuimus quod ab omni convenientia intrinseca possit abstrahi ratio aliqua communis: ergo hæc solutio non posset subsistere. Probatur maior: omnia entia, quæ existunt à parte rei conveniunt intrinsece in ratione positivi: sed ab illis non posset abstrahi ratio communis positivi, si hæc solutio subsisteret: ergo, &c. Probatur minor, omnis ratio communis præcisa simpliciter est contrahibilis per aliquid quod non dicat expresse ipsam rationem communem: sed illa ratio positivi ut sic non esset ita contrahibilis: ergo non esset præcise simpliciter. Maior constat ex dictis supra disput. citatis: ideo enim ens est simpliciter præcise, quia est contrahibile per perfectitatem, quæ non dicit expresse ens, & per consequens est superadditum ipsi enti. Minor probatur manifeste, rationes contrahentes illud positivum essent expresse positivum quid: ergo illud positivum ut sic non esset contrahibile per aliquid quod non diceret ex-

presse rationem positivi. Probatur antecedens, illud est positivum expresse secundum datam solutionem, quod expresse opponitur alicui negationi: sed ratio quælibet contrahens illam rationem communem positivi expresse opponeretur negationi: ergo expresse esset quid positivum. Probatur minor, quælibet ratio contrahens opponeretur contradictorie expresse alicui extremo, ut fateretur solutio: sed non extremo positivo, quia ipsa ratio contrahens esset negativa iuxta solutionem datam: ergo opponitur expresse contradictorie termino negativo: ergo expresse est quid positivum: ergo non potest esse ratio contrahens positivum ut sic. Patet ultima consequentia, nulla ratio contrahens debet dicere expresse rationem contrahibilem: sed hæc ratio contrahens positivum ut sic dicit expresse rationem contrahibilem: ergo non est ratio contrahens: ergo ratio positivi ut sic non esset contrahibilis: ergo nec præcise contrahibilis.

Respondetur igitur obiectioni, & ante solutionem advertendum est, quod aliqua res dupliciter potest dici talis, vel formaliter vel terminative, aut denominative, ut alij volunt, v. g. dupliciter dici potest aliquid humanum vel formaliter, quatenus dicit intrinsece, & essentialiter naturam humanam, ut Petrus, v. g. dicitur suppositum humanum, quia includit formaliter & intrinsece naturam humanam. Alio modo dicitur aliquid humanum ut terminus illius, non tamen dicendo formaliter, & intrinsece naturam humanam, v. g. substantia dicitur humana terminative, & quatenus pertinet ad naturam humanam; Præterea advertendum est, quod multoties nomen rationis alicuius communis attribuitur rationi alicui particulari, vel propter imperfectiōnis ipsius rationis particularis, ut optime advertit Eximius Doctor disput. 6. metaph. sect. 1. num. 15. vel propter penuriam vocabulorum, quia res de qua agitur, non est alicuius momenti, nec habet aliquam specialitatem, de qua tractent Philosophi, aut metaphysici, quo posito. Respondetur obiectioni primæ negando antecedens, & ad probationem illius distinguendo antecedens, dicit expresse positivum terminative, concedo antecedens, formaliter, & intrinsece nego antecedens, & ad probationem respondetur quod ita est intelligendum illud positivum, de quo agimus supra disput. citata, & ad probationem ex ratione sumptam concedo maiorem, quantum ad primam partem, & distinguo quantum ad secundam, quæ est negatio expresse, & intrinsece nego maiorem, terminative concedo maiorem, & distinguo minorem, quod opponitur alicui negationi expresse formaliter, & intrinsece concedo minorem, terminative nego minorem, ad hoc non ut detur oppositio contradictoria sufficit quod unum extremum sit expresse positivum terminative, & intrinsece, & formaliter implicite, & alterum sit negativum terminative expresse, & simpliciter formaliter, & intrinsece quod habent perfectitas, & exclusio perfectitatis contradictoria, perfectitas enim dupliciter potest dici positiva secundum duplicem rationem, quia potest comparari cum ente, & comparatur cum illo quatenus includit illud intrinsece, & ut prædicatum quoddam transcendens, & sic est intrinsece, & formaliter positiva: sed implicite sicut est ens (quia ens, & positivum sunt termini synonymi, ut obiectio asserit.) Alio modo potest comparari perfectitas cum ente, quatenus

tenuis perfectas est terminus habitudinis entis, & pertinet ad illud ut terminus, & ratio contractiva illius, & secundum hanc rationem dicitur positiva terminative, & eodem modo consideratur exclusio contradictoria perfectas, comparata ad non ens, eo modo quo supra diximus attributa entis posse comparari dupliciter cum ipso ente, vel precise tanquam cum subiecto, vel quatenus includunt illud intrinsece ut predicatum quoddam transcendens.

48 Et si in istis quod non perfectas dicit expresse negationem, non solum terminative: sed etiam formaliter, & intrinsece aut denominative, quia explicatur per illam particulam *non* quæ intrinsece, & formaliter est negatio: ergo perfectas debet dicere positivum non solum terminative, sed etiam formaliter, & intrinsece: respondetur objectioni, negando antecedens, & ad probationem illius dicimus quod exclusioni, & contradictorio perfectas ponitur nomen suæ rationis superioris propter penuriam vocum, non quia exclusio perfectas, & contradictorium illius dicat expresse negationem, & non ens, sicut etiam cæcitas potest dici non visus applicando illi negationem, non quia cæcitas dicat expresse non ens, & negationem, sed tantum exclusionem privativam visus, ita similiter contradictorium perfectas dicit tantum expresse exclusionem perfectas, & implicite negationem, & non ens.

49 Ad quartum distingo maiorem, distinctio fundamentalis concedo maiorem, distinctio formalis nego maiorem, & distingo minorem: solum datur distinctio rationis in adæquata, concedo minorem, adæquata nego minorem, & nego consequentiam, & ad probationem minoris concedo maiorem, & distingo minorem, identitas fundamentalis concedo minorem, formalis nego minorem, & ad probationem illius distingo maiorem: si daretur tanta identitas fundamentalis concedo maiorem, formalis nego maiorem: & ad probationem illius, nego causalem illam: sed quia habent substantia, & ens minorem distinctionem fundamentalem, & ratio est, quia fundamentum ad distinctionem est, quatenus una ratio potest concipi sine formalitate alterius, cum tamen substantia non posset concipi saltem implicite non concepta non repugnantia ad existendum, alias conciperetur ut nihil, ut probatum est, quod est implicitorium in metaphysica, sit inde quod non distinguatur adæquate ab ente, & hoc non est novum, quia etiam inter distinctiones reales datur una maior alia, ita similiter inter distinctiones rationis datur una maior altera.

50 Ad quintum nego maiorem, & ad probationem illius concedo maiorem de entibus omnino absolutis, & nego minorem, & ad probationem illius nego suppositum antecedentis, quia ut optime advertit Pater Hurtadus *primo tom. in prima partem, tract. 1. disp. 5. sect. 3. num. 13.* ante considerationem intellectus, non esse intellectum, voluntatem, actum volendi, iustitiam, misericordiam, & similes perfectiones, eo modo quo his nominibus significantur, quia hæc nomina significant prædictas perfectiones, quatenus à nobis distinguuntur, ut patet ex illorum varietate, & cum hæc distinctio non detur à parte rei, necesse est eas locutiones significare obiecta, provt à nobis distinguuntur, & intelliguntur, si vero loquendum est de his perfectionibus provt dantur

à parte rei, debemus loqui utendo nominibus, quæ denotent modum, quem habent à parte rei, nomina autem sunt realitas quæ est intellectus, & voluntas, entitas quæ est actus volendi, & immensitas, & si hoc modo tractetur de illis, nullius momenti est probatio, quia Pater Aternus generat per entitatem, quæ est voluntas, & immensitas, & similiter Pater, & filius spirant per realitatem quæ est intellectus, & immensitas, & hoc modo conceditur antecedens, & negatur consequentia, & ad probationem illius nego iterum suppositum maioris, & dic quod Pater Aternus cognoscit se generare filium per entitatem, quæ est voluntas, & intellectus, & immensitas.

Et si in istis: ergo ex præcisione intellectus humani pendunt istæ, & similes veritates, Pater Aternus generat per intellectum, & non per voluntatem, Deus nos amat suo amore, & non sua intellectione, iustitia punit, & non misericordia; consequens autem est absurdum: ergo, & antecedens Respondetur prædictas veritates dependere à nostro intellectu, & à præcisione illius, quoad modum quo à nobis explicantur, qui loquimur de rebus, sicut illas concepimus, & Deus etiam quando nobis loquitur, se accommodat in suis locutionibus modo nostro concipiendi, non quia Deus distinguit sua attributa, sicut etiam Deus quando loquitur virtutibus metaphoris, & alijs locutionibus hyperbolicis, quia se accommodat modo nostro loquendi, & intelligendi, & sic in illis locutionibus involvitur distinctio rationis à nobis facta: vide alias objectiones apud Patrem Granadum, quas bene solvit, & facile dissolvi possunt ex dictis.

Ad primam confirmationem concedo antecedens, & consequentiam; ex quo non sequitur quod Paternitas, & natura divina distinguantur ex natura rei, quia id provenit ex infinitate naturæ divinæ, quæ potest identificari cum rebus realiter distinctis, in quo stat mysterium Trinitatis, quod nullo modo excederet captum humanum, si natura divina distingueretur à parte rei à personalitatibus divinis, quia non est mirum, quod eadem entitas afficiatur pluribus formalitatibus, & modis à quibus distinguitur, quia id concedit Scotus in rebus creatis.

Ad secundam confirmationem concedo antecedens, & distingo consequens primum: ergo datur aliquid, & aliquid fundamentaliter concedo consequentiam, formaliter nego consequentiam, & nego secundam consequentiam, & ad probationem illius dico, quod prædicata contradictoria non possunt convenire eidem rei, & negamus quod illa sint prædicata contradictoria propter infinitatem naturæ divinæ, ratione cuius eadem natura, ut dictum est, identificatur cum rebus realiter distinctis, & distinctio virtualis, quæ datur in Deo, facit ut illæ non sint negationes, & affirmationes eiusdem de eodem, & hæc prædicata quasi contradictoria, solum possunt prædicari, & verificari de Deo, respectu naturæ divinæ, & relationum propter operationes, quæ dantur inter ipsas relationes, ut optime advertit Pater Hurtado.

QVÆST.